

damnationis: sacrificium convertit in sacrilegium, imo in plura simul atque horrenda sacrilegia; siquidem Agnum Dominatorem terrae in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Colos. II, 9), inquinatis manibus, ore impuro sumit, indigne distribuit ac dispensat.

VI. — Conscientia non tantum a lethali sorde verum etiam, quantum Deo propitio possumus, a levioribus delictis immunis servetur « Oh! quam mundas debent esse illius manus, quam purum os, quam sanctum corpus, quam immaculatum cor erit sacerdotis quem toties ingreditur auctor puritatis... » (Imit. Christi, lib. IV, c. 11). Meminerimus quam exquisitam conscientiae munditiam requiramus a fidelibus, qui quotidie mensae dominicae assidere cupiunt: iam vero quod aliis praedicamus, id nos observemus, ne ex ore nostro iudicemur, dicentibus illis: Sacerdotes « alligant onera gravia: digito autem suo nolunt ea movere. » (Matth. XXIII, 4). Itaque ut omnia vitiorum inquinamenta proiciamus nosque ipsos Deo exhibeamus hostiam vivam et sanctam, donum illud integerrimae vitae per Iesu Christi Matrem instanter flagitemus.

VII. — Quae externa modestia et accuratio in admirabili sacrificio exhibenda sit, exemplo praefiguratur levitarum foederis mosaici: quorum negligentias etsi leves Dominus severe mulctabat, quanto durior laturus sententiam in eos qui Filium Dei « contemnunt. » « Si audire nolueris vocem Domini ut custodias et facias omnia mandata eius et caerimonias. . . . , venient super te omnes maledictiones vitae et apprehendent te » (Deut. XXVIII, 15).

VIII. — Presbyter ad altare reapse personam Christi

suscipit, adeoque cavere debet, ne tantam Maiestatem indecenter aut indecore repraesentet; quin potius nitatur ut ipsius mysterii magnitudo vel externa quoque specie magis eluceat » (Pius IX Encycl. *Amantissimi* 3 Maii 1858).

IX. — Quem in finem ritus omnes quam exactissime observet, praesertim autem genuflexiones tales faciat, quae internam in spiritu et veritate adorationem significet (Conc. Strigon. an. 1858, tit. VI). Ne tarditate nimia taedium adstantibus afferat, sed neque plus aequo festinet. Vituperandi maxime veniunt ii qui incruentam victimam tam temere offerunt ut merito dubites num fidem retinuerint an amiserint; num sacrificent an insultent (Tertulianus, *De resur.* c. 1).

X. — Domini quem hic tractamus infinita dignitas, omnino requirit singularem cordis praeparationem. Opus namque grande est « neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo » (I Paral. XXIX, 1). Officium proinde boni sacerdotis est, depositis ad fores templi omnibus terrenis curis, ac semetipso quodammodo derelicto, adornare animam suam piis amoris, timoris, humilitatis, fiduciae ac resignationis affectibus. (Conc. Colocense tit. IV, c. 9). Quam triste est videre presbyterum, vix ingressum Ecclesiam et sacris vestibibus praecipitanter indutum, prorsus imparatum, ad Missam celebrandam properare. Et haec esse causa videtur cur nonnulli, etsi tanto divini amoris igne involuti, frigidi tamen sint, aut vix ullam coelestis ardoris scintillam percipiant; cur ad sponsi coenam toties admissi famelici maneant et siti-bundi; ac minus emolumentum capiant ex quotidiano Sacrificio quam laici ex rariore communione. Summam igitur diligentiam adhibeant ut templum cordis Deo sedulo parent: et dum sacris operaturi, in sacristia induuntur,

ne confabulentur cum aliis, et nemo ipsorum devotionem loquendo interturbet.

XI. — « Benedicite sacerdotes Domini Domino » (Dan. III, 84) aliquod temporis spatium in gratiarum actione insumendo. Missa absoluta, ne illico negotia tractent, neque indulgeant colloquiis, imo libenter cum dulcissimo hospite conversentur, ut redemptionis fructus uberrime in ipsos redundet, eisque addat vires ad clericalia munera sancte exercenda. D. Chrysostomus vult omnes christianos a synaxi recedere quasi leones spirantes ignem: multo autem magis expectandum est a sacerdote cuius potissimum exemplo moneri et doceri debent reliqui, ne accepta eucharistia continuo et raptim e templo secedant.

XII. — Quo facilius gratias agendis intendatur a rectoribus ecclesiarum flagitamus, ut sacristias suas flexoribus instruant; appositis etiam, si fieri possit, tabellis, quae preces ante et post Missam dicendas exhibeant (Con. Strigon. an. 1858, tit. VI).

XIII. — De stipendiis et persolvendis sacris, cura habenda est valde sollicita. Notentur in libello intentiones ac dies quibus acceptae et persolutae sint, ne vel oblivioni dentur vel sacerdote vita functo negligantur. Summopere etiam cavendum est ne quid peccetur contra statuta Pontificum, nominatim ea quae Benedictus XIV ratione stipendiorum edidit.

§ II.

De officii divini recitatione.

I. — Si christianus quisque divinam maiestatem humili prece colere debet, peccatorum veniam flagitare et pro acceptis beneficiis gratias rependere, nova mu-

nera impetraturus, haec orandi lex clericos omnes validiori titulo urget, quippe qui pro universo terrarum orbe legati apud Deum ac deprecatores intercedunt, et amplioribus indigent gratiae donis. Cui muneri ut satisfacere possint traditur ipsis iam inde a subdiaconatu Breviarium, liber pretiosissimus, omnibus animae indigentibus mire accommodatus: thesauros documentorum quae ex Scriptura Sacra, e Patribus, e Sanctorum exemplis ipsa Ecclesia accurate selegit; preces denique omnium praecellentissimae et ex magna parte a Spiritu Sancto dictatae.

II. — Clerici beneficium adepti, aut ad sacros ordines promoti, etsi beneficio careant sub gravis peccati reatu tenentur ad quotidianam integram et absolutam Officii divini, recitationem, iuxta formam in Breviario Romano descriptam. Cui strictissimae obligationi si culpabiliter desint, beneficiati sciant ad normam iuris restituendam esse partem fructuum respondentem oneri officii divini, et quidem pro rata omissionis. Quae restitutio fieri debet sub gravi, etiam ante sententiam declaratoriam iudicis.

III. — Nemo sibi causas dispensationis fingat, neque animum inducat se a persolutione sacri debiti excusari ob consuetos vitae pastoralis labores.

IV. — Omni ope contendant distincte, attente, devote, huic officio pietatis instare, memores se non solos esse, nec suo tantum nomine precari; sed cum ipsis universam orare Ecclesiam, et conspirare coelestium spirituum Choros. Qui hac ratione tributum laudationis ex intimo cordis rependit, brevi fiet vir orationis: novi in dies stimuli sacerdotali zelo addentur, ingens demum parabitur remuneratio. Verum si perfunctorie, cursim, animoque voluntarie distracto, forte

etiam inter confabulationes et risus, inter alienas sollicitudines horae canonicae perlegantur, timendum est ne eiusmodi psalmodia causa fiat severioris vindictae atque iram divinae iustitiae accendat.

V. — Ad dignam Breviarii recitationem valde proderit psalmodum, hymnorum et canticorum intelligentiae assiduo studere; item res coelestes continua meditatione ponderare, ut sanctorum cogitationum et affectuum thesauros verbis contectos, citius reperiamus.

VI. — Externa compositio et modestus corporis situs necessaria sunt ut mens ad Deum facile erigatur. Magni quoque momenti est tempus tranquillum, horam congruam, locum idoneum seligere; et paulo antequam incipiamus, pia mentis recollectione Officium praevenire, ne simus quasi homines qui tentant Deum.

TITULUS V.

DE EXTERNA AGENDI RATIONE.

Pro acerbissima horum temporum conditione, opus est, ut ii qui causam Dei propugnant maiori quam unquam animi robore et viribus magis coniunctis sub vexillis Christi decertent. Qua de re plura Romani Pontifices, maxime vero Pius IX et Leo XIII provide sanxerunt, quae ut ab omnibus observentur, toto animo exoptamus. Ad ea ergo monita clerici externam etiam vivendi normam accomodent, non quae sua sunt quaerentes, sed quae Iesu Christi, et simul intelligentes, se in militia Dei non ad propria commoda, non ad quietem et divitias vocatos fuisse, sed ad plurimos pro divina gloria labores et sollicitudines. (Trid. sess. xxv, cap. 1 *Ref.* — Conc. Mediol. I).

§ I.

De ratione agendi cum Episcopo et reliquis superioribus.

I. — Omnes non solum Successorem Petri, totius Ecclesiae visibile caput, honorent animo obsequentissimo, sed etiam Episcopo suo fideliter subiecti sint, et dicto audientes. Sicuti Praesulis est subditos omni caritate fovere, diligere et adiuvare (Trid. sess. XIII, c. 1 *Ref.*), subditis vicissim dictum est: « Obedite praepositis vestris, subiaccete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant et non gementes: hoc enim non expedit vobis. (Hebr. XIII, 17). Si discipuli esse volumus eius qui descendit de coelo non ut faceret voluntatem suam, sed voluntatem Patris qui misit eum, adeoque factus est obediens usque ad mortem (Ioan. VI, 38. — Phil. II), constanter praestemus obedientiam, quam in die ordinationis nostrae ponentes manus iunctas inter manus Episcopi, solemniter spondimus. Dicenti enim: « Promittis mihi et successoribus meis obedientiam et reverentiam? » respondimus in facie Ecclesiae « Promitto. »

II. — Ecclesiastici viri quod in muneribus insumunt operae, tunc sciant maxime fructuosum sibi proximisque salubre futurum, si se ad imperium eius nutumque finxerint qui dioecesis gubernacula tenet. » (Leo Pp. XIII, *Encycl. Ad Episcop. Hispaniae* 8 Dec. 1882). Sane vir obediens loquetur victoriam (Prov. XXI, 28). Ubi vero genuina erga Praesulem adhaesio laxatur, ibi, ut experientia docet, omnis quantumvis extremus zelus, in irritum cadit.

III. — Insuper salutaris haec obtemperatio vitae sacerdotali affert securitatem et solatium, atque aciem ecclesiastici ordinis peculiari fortitudine munit. Eadem erit efficacissima praedicatio, qua non verbis tantum, sed factis detestabimur spiritum illum licentiae qui, sub specie libertatis longe lateque diffusus, nullis praeceptis vult teneri, nemini subesse, sed dumtaxat sibi-metipsi, i. e. corruptae naturae servire. Ratio postulat ut qui Ecclesiae famulati adscripti sunt, atque obedientiam veluti christianae societatis fundamentum aliis pronuntiant, ipsi quoque paratissima voluntate superiori potestati obsequantur. (Conc. Colocense, tit IV, c. 13, tit. VI, c. 1).

IV. — Iubent canones mandata servari maiorum etiamsi difficilia sint, onerosa, dubie licita; et patienter tolerari correctionem, quamvis iniusta videatur. At tamen qui aequam causam habeat cur praecepta adimplere nequeat, eam exponere cum reverentia poterit.

V. — Non solum reprobari debet aperta inobedientia, et contumax in resistendo voluntas (quae quidem pergrande malum et scandalum esset in Ecclesia Dei), sed adhuc bene sentiamus de Praelati iussionibus, qui loco Dei praesidet et cui contradicere, ut ait S. Ignatius Martyr, terribile est. Quamobrem iam inde a seminario doceantur clericales alumni Episcopo praecipiente ex animo acquiescendum esse, ita ut suo quisque munere, gradu et loco contentus vivat, imposita sibi onera ferens libenter, non ad oculum serviendo, sed ut servus Christi faciendo Dei voluntatem.

VI. — Obedientiae merito et benedictionibus se ipsos privant qui emendicatis undique commendationibus vel praetexta valetudine aliisve artibus indecoris, munera incommoda aut minus lucrativa declinant, fa-

cilia vero et opulentiora ambitiose affectant. « Mihi *intolerandum* videtur, (sic S. Carolus Borromaeus), quod nonnulli, cum ecclesia ipsi proponitur, cui deserviant, respondent statim eam sibi commodam non esse. Absit utinam ab universo clericorum coetu spiritus iste! »

VII. — Absit etiam ut sacerdotes, vel ipsi inter se vel coram laicis, superiorum mandata vituperent aut discordias seminent inter pastorem et gregem, aut murmurationes ab aliis prolatas approbare videantur! Qui Episcopum contumelia, calumnia vel conviciis afficiunt, in peccatum incurrunt.

VIII. — Sciant omnes se Praesulem adire posse summa cum fiducia, a quo semper libenti animo excipientur. Crebra enim Episcopo rerum et consiliorum communicatio parochis praesertim commendatur, quo fiet ut omnia fauste feliciterque succedant.

IX. — Similiter omnes e coetu clericorum Vicarios foraneos, parochos ceterosque superiores debito honore, benevolentia, et obedientia prosequantur.

X. — Caveant ab illis hominibus qui hodie omnes adhibent artes ad disgregandos animos clerum abducendum a proprio pastore et populum a clero, atque ad unitatem plane dissolvendam. Quare hoc sit oportet studium nostrum, tum nosmetipsos sub Episcopi ductu procedere animo coniunctissimo, tum fidelium mentes et corda Praesulibus conciliare (Pius IX, Epist. ad clerum).

§ II.

De mutua concordia inter clericos fovenda.

I. — Hac veluti tessera discernuntur genuini sacerdotes secundum cor Dei, quod se invicem diligant et unus sit eorum spiritus, sicut vocati sunt in una spe vocationis suae (Ioan. XIII, 35. — Ephes. IV, 4). Revera iis quos ipse Dominus una simul in sacro ministerio congregavit, nihil potius esse debet quam ut mutuam caritatem impense colant praecipuae instar virtutis. Quo arctiori inter se foedere, et vinculo pacis, constringentur, eo etiam susceptae curae exitus habebunt secundiores.

II. — Igitur, quod monet Apostolus, « implete gaudium meum ut idem sapientis, . . . nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes; non quae sua sunt singuli considerantes, sed quae aliorum; honore invicem praevenientes; ab omni invidia alienissimi, et in hoc gaudentes, dum omni modo Christus annuncietur. » (Phil. II, 2. — I, 18. — Rom. XII, 10). In iis praesertim quae ad animarum salutem pertinent, mutuam sibi opem ultro ferre, atque individuum unitatem et consensionem maxime servare studeant.

III. — Advenientes aliunde muneris socios benigna et sincera hospitalitate excipiant, moerentibus quoque fratribus nitantur solatio esse.

IV. — Si quis solus in ecclesia rurali degens in morbum inciderit, certior fiat is qui vicinior est parochus, qui statim aegrotum invisat, eique omnia officia praestet, quae ad animae et corporis subsidium necessaria forent (Concil. Prov. Mediol. 1).

V. — Dissensio quaevis uti pestis fugienda est, et si quae forte succreverint discordiae semina, ea protinus radicitus extirpemus « cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem, donantes vobismetipsis si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. » (Ephes. IV, 2. — Col. III, 13).

VI. — Haud leve scandalum laicis parere solet quod videant inter pastores suos gliscere simultates, aliosque ab aliis irrideri aut vilipendi. Hinc, quamvis semper et ubique consulendum sit bono nomini fratrum, maxime coram saecularibus eorum culpaee et defectus excusentur, aut silentio tegantur necdum sinistri spargantur rumores quibus aliena fama laedi posset. « Nolite detrahere alterutrum, fratres, et cum detractoribus ne commisceamini. » (Prov. XXIV, 21).

§ III.

De norma agendi cum proceribus.

Meminerint clerici, praesertim vero parochi, omnem potestatem auctoritatemque a Deo promanare, non modo ecclesiasticam, verum etiam civilem. « Non est enim potestas nisi a Deo » (Ad. Rom. XIII, 1). « Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt » (Prov. VIII, 15). « Non haberes potestatem adversus me ullam nisi tibi datum esset desuper » (Ioan. XIX, 11). Origo ergo auctoritatis civilis non ab hominibus sed a Deo prorsus est repetenda. Quoniam autem « quae a Deo sunt, ordinata sunt » (Ad. Rom. XIII, 2), auctoritati civili sincera et iusta reverentia et obsequium exhiberi debet tanquam institutioni divinae, humano in-

genio atque indoli prorsus consentaneae. Parum autem refert, hanc auctoritatem in una vel pluribus personis inveniri, sub ista potius quam sub alia gubernii forma exerceri. Prae oculis habenda sunt verba illa SS^mi D. N. Leonis Pp. XIII (Encycl. *Diuturnum illud*). « Nihil est enim cur non Ecclesiae probetur aut plurium principatus, si modo iustus sit et ad communem utilitatem intentus. Quamobrem salva iustitia non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, aut maiorum institutis moribusque magis apte conveniat. » Sequentia itaque a clericis tenenda et observanda statuimus :

I. — Clerici christianam profiteantur observantiam in publicas potestates. Salva semper conscientia, tuta etiam proprii gradus dignitate, pacem servare nitantur cum iis qui civili auctoritate potiuntur, eos etiam comiter visitando quoties expediat, et omnia urbanitatis officia diligenter exsequendo.

II. — Amplectentes doctrinam SS^mi D. N. Leonis XIII, feliciter regnantis, de forma guberniorum, expressa in suis litteris, praesertim ad Episcopos Galliae, abstineant clerici a vanis disquisitionibus circa praestantiam unius formae gubernii prae alia, et validiori de causa ab oppugnationibus contra auctoritates, Deo permittente et disponente, in patria nostra constitutas. Sedulo etiam eadem fidelibus principia inculcare nitantur, ut debitum obsequium exhibeant iis qui rempublicam nostram Mexicanam gubernant ac regunt.

III. — Ubi cum proceribus, spiritualia forte usurpantibus, dissidium oriatur, atque ad vindicanda Ecclesiae iura aliquid verbo aut scripto respondere vel reclamare deceat, « id graviter et firmiter fiat, verbis tamen spiritui ecclesiastico congruentibus: aspera, dura,

et quae offensioni esse possent, omni cura vitantes. » (Conc. Vallisoletanum an. 1889, Pars v, tit. v).

IV. — In hisce et similibus adiunctis, praesertim in dubiis et arduis, omnino praestat consilium quae-rere ab Episcopo, vel si Praesul longius absit et res moram non patiat, a vicario foraneo aut aliis spectatae prudentiae viris.

V. — « Profecto sacerdotes tradere se penitus partium studiis, ut plus humana quam ecclesiastica curare videantur, non est secundum officium. Cavendum igitur sibi esse intelligant ne prodeant extra gravitatem et modum. » (Leo Pp. XIII Encycl. *Cum multa* ad Episcopos Hispaniae). Dum in quaestionibus mere temporalibus animorum contentio fideles trahit in partes diversas, Synodus haec verbis Sancti Chrysostomi presbyterum monet ut qui pro tota civitate imo pro universa terra, oratione apud Deum agit, sit tamquam omnium pater; et civiles factiones, contentiones, potestates, ambitiosa molimina, relinquat mundanis.

VI. — Itaque a discutiendis publice causis politicis aut prorsus saecularibus, tum extra ecclesiam, tum multo magis in ipsa sacerdotes abstineant. Quod tamen ita interpretandum non est, quasi omnino silentium esset de gravissima obligatione, qua cives tenentur etiam in rebus publicis, semper et ubique iuxta conscientiae dictamen, coram Deo, pro maiori bono tum religionis, tum reipublicae patriaeque suae, adlaborare (Concil. Plenarium Baltimor. III, tit. II, n. 83. — Concil. Coloc. tit. IV, cap. 5).

§ IV.

De agendi ratione cum reliquis universim.

I. — Compendiosam vitae normam Patres hanc tradiderunt ut quisque recogitet « se non propter se solum, sed propter alios esse sacerdotem » et quasi omnibus debitor factus, omnium utilitati consulat. Licet nullo fungatur munere, cui adnexa sit cura animarum, non ideo contentus sit sacrum facere et horas canonicas recitare: sed proximorum saluti adlaboret, pro Dei nomine seipsum invicta et constanti virtute impendendo.

II. — Simples sicut columbae, prudentes tamen sicut serpentes, satagant, clerici omnium et singulorum corda devincire, nemini dantes offensionem; quin potius universo agendi et loquendi modo religionem faciant amabilem, quo proximi ad eam colendam potentius alliciantur.

III. — Praecipuas officii partes veluti in speculo expressas intuemur in hisce Spiritus Sancti monitis: « Exemplum esto fidelium in verbo; in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, in doctrina, in integritate, in gravitate. » (Tit. II, 8. — I. Petr. V, 3). Sane si virtutibus splendere curemus, si misericordes, pacifici, humiles ac mundi corde fuerimus, non minus efficaciter quam per miracula spectatores nostros ad veritatem trahemus. (Chrys. Homil. 15 in Matth. cap. 5). Sed e contrario quanta rei christianae detrimenta inferant prava clericorum exempla, vix ac ne vix quidem dici potest. Ruina populi sunt mali sacerdotes. « Tepor ille religionis, imo corrupti mores qui passim in populis regnant, non aliunde incrementa

sumpsere, quam quod pastores ipsi tepent ac saepe scandalum praebent. » (Conc. Strig. an. 1858, tit. v).

Nobis catholicae societatis historiam recordantibus manifesto apparet, maiorem animarum stragem edidisse inordinatam aliquot sacerdotum vitam, quam publicas vexationes, leges impias et omnia tyrannorum supplicia. Cautè igitur ambulemus, ne confundant opera nostra sermonem nostrum, neve cum in ecclesia loquimur, tacitus quilibet respondeat « Cur ergo haec quae dicis, ipse non facis? » (S. Hier. Epist. ad Nepotianum).

IV. — Iusta clericalis ordinis reverentia extenuatur et evanescit, ubi Ecclesiae minister homines perditos, leves aut dubiae famae frequentat, vel convivando cum eis, vel amice conversando. Imo cum saecularibus universim, ne sit intima consuetudo.

V. — Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Sermo vester semper sale sit conditus ut sciatis quomodo oporteat nos unicuique respondere. (Philip. IV, 5. — Coloc. IV, 6).

VI. — In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia. « Patientia enim vobis necessaria est. » (II. Cor. VI, 4. — Hebr. X, 36) quia vestrum est omnium onera portare. Aliis quidem irascentibus datur venia, presbyteris nequaquam; aliis peccantibus superest excusatio, vobis vero minime; omnium linguis expositi estis, omnium iudiciis obiecti; curis assiduis obtundimini, diurnis et nocturnis; multi circumstant malevoli et invidentes, (S. Chrysost. Homil. 3 in Act.), ac nihilominus, sacerdotis est nulli nocere, prodesse velle omnibus quamvis lacessitum et iniuria offensum (S. Ambrosius, *De officis ministrorum*, lib. III, c. 9, n. 59).